

potuisset nisi id et divina dispensatione fuisset permisissimum. Unde D. Chrysostonus ait : « Observavit « tali eos tempore necare, cum ad pacem conjun- « gebantur. »

¶ — Ecce tibi et lupus, et ovium dispersio. Cur autem quæ divisionem patiuntur oves et lupos non patiuntur? Equidem pastor qui permittit agnum a grege separari, solumque et divisum ab aliis, vastissimos per montes errare, is pastor, non tam in pascua quam in lupos et omne exterminium ducit agnos. Sic hostes invadunt divisum et separatum hominem a consorcio fratrum; sibi enim connexa sunt hæc duo, et divisio, et hostium irruptio, atque totalis terre desolatio. Discordia enim regna destruit quæ pax erigit. *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur et domus supra domum cadet*, dicit Dominus, *Luc.*, xi, 17. Quando Lot ob pastorum suorum dissensiones cum pastoribus Abrahæ habitus, utpote de pace parum sollicitus, a sancto illo Patriarcha se divisit, confestim rixarum et discordiæ expertus est fractus; etenim a victoribus inimicis, una cum omnibus suis abductus est captivus, omnesque ei ereptæ sunt facultates. Unde S. Chrysostonus ait : « Ecce ut divisus est et putabat se in « majori esse libertate et potiora se assenturum, « repente factus est servus, ut discat quantum « malum sit divisio et quantum hominum conser- « dia. »

VERSUS 13.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

1. — Cajetanus dicit : « Non est illi cura ovium, « cura mercenarii est circa lucrum suæ mercedis « et non circa salutem ovium. » Albertus Magnus ab expositione Cajetani paululum differt; dicit enim : « Non pertinet, id est, in perditione illarum se nihil « perdere existimat. »

2. — Ad Episcopos quidem et alios Prælatos Ecclesiasticos spectat, reprehendere vitia, populorum pravos reformare mores et circa animarum salutem exactam sollicitudinem gerere; Deus autem per Oseam, iv, 8, graviter lamentatur, quod multi et Sacerdotibus metu utilitatis proprie amittende, idipsum facere intermittant : *Peccati populi mei « comedent et ad iniquitatem eorum sublecebant « animas eorum*, ubi S. Hieronymus ait : « Sacer- « dotes dissimulant atque laudant peccata populi, « ut plurimæ ad eorum questum afferantur victimæ « et ita populum spoliant, atque comedunt, de qui- « bus dictum est, *Psal.* xxx, 4 : *Qui devorant ple- « bem meam, sicut escam panis.* »

Additiones.

a. — *Mercenarius fugit, quia mercenarius est*, etc. D. Anselmus per hunc mercenarium intelligit hominem vanæ gloriæ deditum, qui applausu

mundano vendit bona opera, quæ alias erant incomparabilis meriti apud Deum; cui oves non sunt propriæ, quia virtutes quas in seipso custodire videtur, ab eo sunt aliene. Magna igitur jaclura vanæ gloriæ, quam facimus, temporalem mercedem recipientes, loco æternæ. Qui vanæ gloriæ avidus est, audiat et intelligat quid dicat, charisque verbis et sine glossa determinat Rex æternæ gloriæ, prima et infallibilis Veritas : *Ego Deus et non mentior*. Monuerat discipulos suos : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis*; et statim subdit : *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum quæ in celis est.*

« Misericordiam coram se solum vult fieri, » inquit Chrysologus, « qui solus est misericordiæ, et « remunerator et testis. » Abbas Joannes eremita Rufinus dicebat : « Qui ab hominibus gloriam que- « rit, odit eam quæ a Deo est. » S. Augustinus in suis Confessionibus, cap. xxxviii, quoque scribit : « Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, « non defendetur ab hominibus judicante te, nec « eripietur a damnante te. » Amentem profecto quilibet censet mercatorem illum, qui pro vilissimo pretio vendit merces suas, sciens illas infra paucos dies cariori vendendas fore pretio; et talis est mallorum stultitia, qui vanæ duci gloriæ, bona exerceat opera. Quæcumque exerceas opera misericordiæ, sive corporalia, sive spiritalia, quæcumque faciatis eleemosynas, jejuniæ, aut similia opera media sunt quibus æternam vitam lucrari potestis, si facta fuerint in gratia et charitate; facti igitur et amentes eritis, si pro tantillo plausu et laudis humanæ, pro uno euge, euge, quod celeriter avolat, ea expendere, eorumque valorem perdere velitis : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Si ex mercibus in foro dividendis lucratus fuisses thesaurum sufficientem ad te, tuamque familiam ditandam, venderesne illum alieni, qui non nisi mera verba quibus te palparet, laudaret ac deprædicaret, vicissim reponeret? *Negotiarii dum venio*, ait Salvator noster. Opera virtutum facta in amicitia Dei sunt merces quibus possumus negotiari et lucrari Paradisum. Deus solvit illa remuneratione æternæ gloriæ, hac tamen conditione, si facta relata fuerint ad ipsius gloriam; nam si fiat ad capiendam laudem et honorem ab hominibus, jam aperte se declarat : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

b. — Reddit Dominus causam cur mercenarius fugiat, quia ipse solum suam querit mercedem; proindeque quando oves pereunt, non ipsi sed Domino pereunt, parum curans de ovium aut Domini commodo. S. Prosper gravem illam Domini protestationem : *Væ pastoribus, qui pascebant seip- « sos*, sequentibus prosequitur verbis : « Istud væ, « pro maledicto poni, et pastorum nomine nos « significari, quis non intelligat, nisi qui futura

« non cogitat? Gregem Domini pascenti curam « pastores facti suscipimus et nos ipsos pascimus, « quando non gregum utilitati prospicimus, sed « quid foveat et augeat nostras voluptates attendi- « mus. »

VERSUS 14.

Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.

Ego sum pastor bonus.

1. — S. Thomas optimam inter bonum et malum pastorem assignat differentiam : « Bonus pastor, » inquit, « intendit commodum gregis, malus « autem commodum proprium; » adducit illum Ezechielis Prophetæ locum dicentis, cap. xxxiv, 2 : *Væ pastoribus, qui pascent seip- « sos*; « qui utiliter grege « ut semetipsum pascat, non est pastor bonus. »

2. — Adverendum est autem quod Christus non dicit : *Ego sum pastor fortis, eruditus, prudens, circumspectus*, sed, *Ego sum pastor bonus*, ut exinde intelligatur quod bonitas, bonumque aliis relictum exemplum et bona fama, primus sit atque præcipuus boni Pastoris et Prælati ecclesiastici character, *Matth.*, v, 16 : *Si luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Beatus Petrus Damiani dicit : « Sacerdos, qui in regno colorum vult « esse magnus, sit in populo prævius, ut quod voce « se sequentibus dicit, primus ipse vivis operibus « adimpleat. » *Ante eas vadit*, inquit Christus apud S. Joannem de bono pastore, et oves illum sequuntur. Optime idipsum præstitit Christus ipse, de quo in Actis Apostolicis dicitur : *Cæpit Jesus facere et docere*. Ilugo de S. Victore, de hoc bono pastore ita scribit : « Unus pastor, unus in se et unus cum grege; unus « in se, ut quod docet verbis, impleat operibus; « unus, ut non mutetur prosperis, vel adversis; « unus cum grege, ut a subditis non dividatur per « pretiosorem cibum, vel habitum. » Ilugo Cardinalis ait : « Nota tria, in quibus præcipue attenditur « bonitas pastoris, in solertia pascenti, in diligentia « custodiendi, in audacia defendendi. » Quod si examinaverimus qualia hic pastor gregi suo, id est, electis suis pascua procuraverit, subito elucescet, quanto cum jure sibi boni pastoris nomen comparari. David, qui se hujus gregis oviculam esse lubens agnoscebat, pauper et ab ipsomet patre et fratribus suis contemptus pastor erat et tamen quantum ille etiam in hujus vitæ bonis auctus et cumulatus fuit? Quot sibi accesserit regnorum sceptræ, thesauros, progeniem? Quanquam penes universum mundum famam et venerationem? *Dominus regit me*, inquit, *Psal.* xxv, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ me collocavit, super aquam refectiois educavit me; abundanter enim etiam in pascuis terrenis et corporalibus provius fuit, in Psalmo i, 4, ubi animam celo possidendo electam describit, ita ait : *Beatus*

vir qui non abiit, etc., et tandem concludit : *Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur*. Quod si vero de spiritalibus pascuis loqui velimus, apud Ezechielem, xxxiv, 14, illa his verbis promisit : *In pascuis uberrimis pascent eas, in pascuis pinguibus pascentur*. Imo ipsomet Dei pinguissum nobis pascuum exhibet, *Joan.*, x, 27, 28 : *Oves meæ vocem meam audiant et vitam æternam do eis*. Et libro Sap., xvi, 26 : *Sciatis filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascent homines, sed sermo tunc hos, qui in te crederunt, conservat*. Non in solo pane vivit homo, inquit cælestis hic Pastor, *Matth.*, iv, 4, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Ad hæc inter electorum pascuas quoque enumerari possunt dona interiora gratiæ, fides, charitas, patientia, spes, castitas, humilitas et omnia alia, quibus interiori spiritaliter pascimur, *Matt.*, v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; etenim hæc dona gratiæ et virtutes, vires et vigorem ad operandum animæ tribunt, ad eum modum quo cibis materialis corporibus nostris robur addit, ad exercendum suas operationes. Denique gratissimum animabus Deo charis et dilectis pascuum prebent tribulationes et passiones, Dei amore a nobis toleratæ, adeo ut de S. Stephano sancta Mater Ecclesia canere soleat : *Lapides torrentis dulces illi fuerunt*. S. Laurentius postquam trulentissimorum tormentorum carnificium, ante se positam, conspexisset, dixit : « Has epulas ego « semper optavi. » Verum enimvero omnem cibum superat, omnemque aliam suavitatem et substantiam superexcedit sacratissimum divini hujus Pastoris corpus, quod electos suos nutrit et sanguis quo nos potat et reficit, adeo enim cibis hic et pascua pretiosa est, ut nullam habeamus Angelorum mensam in Paradiso præparatæ invidiamen.

Et cognosco oves meas.

3. — S. Bonaventura verbum hoc cognosco, ita glossat, ut idem sit quod diligo. Unde Lucas Bruggensis ait : « Scio cognitione non nuda et sterili, « sed plena amoris et curæ, cognitione, quæ ex « amore nascitur et curam secum trahit. »

4. — Toletus inter divinum hunc pastorem et pastores alios hanc assignat differentiam; nam « Pastores oves suas non cognoscunt distincte, nisi « aliquo signo exteriori notentur, quo uti solent, ut « eas agnoscant et inter alias, quæ suæ non sunt, « distinguant; at mirabilis noster Pastor Christus « hoc habet proprium, tanquam verus et proprius « pastor, qui novit oves suas etiam nullo signo dis- « tinctas. » *1 Tim.*, ii, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt « ejus.* »

5. — Theophylactus causam refert, cur mercenarii hanc notitiam non habeant : « Mercenarius, » inquit, « nescit oves, quod contingit, quia non sepe « illas invisit, nam si sepe invisisset, cognoscere

« eas. » Et ideo Sapiens in Proverbiis, xxvii, 23, optime monet, dum ait : *Diligenter agnosce vultum pecoris, tui tuosque greges considera.*

6. — Cajetanum Christum hisce verbis dicere voluisse asserit se oves suas probe agnoscere, adeo ut illas a reprobis perfecte discernere queat : « Quod est cognoscere prædestinatos ; effectusque prædestinationis in eis, quod est cognoscere intima eorum, præsentia et futura ; rursus significat, « quod nolitiam habet infirmitatum, reliquarumque conditionum, earum non minus quam pastor corporeus agnoscit condiciones pecudum suarum. »

Et cognoscunt me meæ.

7. — « Significat, » inquit Cajetanus, « se a prædestinatis agnoscere et eorum pastorem, curatorem, vivificatorem ; est enim in prædestinatis æternum lumen, faciens in eis hujusmodi notitiam. »

8. — Albertus Magnus ait : « Per beneficia enim mea cognoscunt fidem meam, fide, et devotione, et gratiarum actione. »

9. — S. Bonaventura ita explicat : « Cognoscunt me, id est, obsequuntur. »

10. — Hugo Cardinalis ait : « Cognoscunt me meæ, id est, in proximo est ut convertantur et credant multi ; cognovit enim Dominus eos, qui sunt ejus. »

11. — « Cognoscunt me tanquam Pastorem et Salvatorem suum, » inquit Lucas Brugensis, « imo qui intelligunt non esse sibi aliam salutis spem, nisi per me, ita me cognoscunt, ut etiam gratæ redamant ; ita noverunt vocem suam, « ut præcipientem morigeræ sequantur, jussis meis obtemperent et imitentur exempla. »

12. — Porro in hujus æterni Pastoris notitia et agnitione omnis nostra salus reposita consistit, ipsomet teste, qui ait, *Joan.*, xvii, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Unde optime Jeremias, ix, 23, monet, dicens : *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, non gloriatur in fortitudine sua et non gloriatur in divitiis suis ; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me.* Elenim evidens signum, unde agnoscere possumus nos talem notitiam habere, a S. Joanne, II, ii, 4, nobis his verbis traditur : *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum et mandata ejus non custodit mendax est et in hoc veritas non est.*

13. — Albertus Magnus ait : « Semper ante oculos bonæ ovis est pastor, ut illum sequatur et semper in oculis boni pastoris est ovis, ut ab illo illuminetur ; » citatque S. Joannem Chrysostomum dicentem quod hic Pastor Evangelicus et alii terrestres in omnibus aliis inter se similes existant : « Præterquam in hoc solo, quod pastor corporalis

sequitur oves, pastor autem spiritualis oves præcedit, ut ipsum semper habeat in oculis, *Joan.*, « x, 4 : *Ante eos vadit et oves illum sequuntur.* »

14. — Porro signa, ex quibus, a numero de hujus Pastoris grege, sive de electorum numero sit, dignosci potest, varia sunt et multa, et quidem in primis oves præ cunctis aliis animalibus solitudinem diligunt, civitates autem et loca inhabitata nauseant et aversantur. Deus de anima sancta et de omnibus illis, qui solitudinem diligunt, per os Osee Prophete, xii, 5, dicit : *Cognovi te in deserto et in terra solitudinis ; et S. Augustinus quoque, l. de mor. Eccles.*, ait : « Desertissimas terras incolunt perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt. » Præterea ii, qui officii pastoralis experientiam habent, referunt quod ovium grex salvas, sive amaras pratorum herbas quam maxime diligant ; unde et in illis agris, ubi salinrum, seu sal petra prævalet, libentissime pasculant, atque folia, quæ ex amaris arboribus pergerminat, industrie quærent. Eadem quoque ratione, quanto animam aliqua afflictionibus corporalibus, sensuumque et partis rationalis, tum interiori, tum exteriori mortificationi magis dedita est et adhaerescit, tanto evadit purior et immaculatior et consequenter celestis Sponso magis accepta ; unde S. Leo, *Serm. i de je.*, dicit : « Tanto fit rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. » Ovis dum pasculit et in pratis festive saltat, eamdem vocem edit, quam percussa, jugulanda, aut dilananda edere solet, quod in animabus justis, tam in adversis quam prosperis æquanimittatis est symbolum, *Prov.*, xi, 21 : *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei.* Sic Job eandem præsentit vultus serenitatem in adversitatum procellis, quam in prosperis fortune eventibus, unde ait : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est ; sicut nomen Domini benedictum.* Et in hymno de Martyribus communiter canimus : « Cæduntur a gladiis more bidentium, non murmur resonat, non querimoniam, sed corde tacito, mens bene conscia condempnat patientiam. » Ad hæc ovis inter alia animalia maxime est timida ; ita quoque justis evenire solet, *Prov.*, xxvii, 4 : *Beatus homo, qui semper est pavidus. Semper quasi tumens, inquit Job, xxxi, 23, super me fluctus timui Deum.* *Job*, ix, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Cui accedit quod animal istud ex speciali quodam nature instinctu, sui agnoscat vocem Pastoris ; ita quoque S. Gregorius, *Hom. xviii in Evang.*, super illa Christi verba : *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, ita scribit : « Interroget se unusquisque, si verba Dei in aures cordis percipit et intelligit unde sit. » Præterea ex omnibus pecudum gregibus nullus est magis inermis aut imbellis quam qui ex ovibus congregatur ; hæ enim nec dentes habent ad mordendum, nec ad

percutiendum calces, nec urgues ad dilaniandum, nec ad offendendum cornua, nec venenum ad intoxicandum et ideo aptissima sunt animæ alienius justa figura, upote quæ divinæ particeps est filiationis, *Math.*, v, 9 : *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Deinde quotidiana nos docet experientia, quod ovis aliqua a grege et pastore suo sequestrata oberrans, continuo balando vociferetur et contristet, donec pastori et gregi suo denuo conjungatur, adeo etiam, ut quamdiu a grege procul abest, prænimo metu toto corpore contremiscat, quod aptissimum animæ alienius prædestinate signum est, hæc enim quando a recta legis Dei semita, per peccatum aliquod commissum aberravit, prolium interiorum conscientie patitur remorsum ; ac proinde continuo affligitur, donec ad confessarii pedes se prosterndi occasione inveniat ; timet enim, non justitiæ divine vindicta in eam animadvertat, nisi sub divinorum præceptorum obedientia se denuo recipiat ; ejus contrarium in reprobis evenire videmus, qui male conscientie synderesin vel non sentiunt, aut vero contemnunt, *Prov.*, xviii, 3 : *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* Oves quoque pastoribus suis gratas sese exhibent pro cura et providentia, quam de illis habet, quam eisdem per multa, quæ ab ipsis accipiunt, emolumenta recompensant hæc quoque erga recepta a Deo beneficia gratitudo, hominis Deo grati et accepti certissimum et infallibile est indicium. Unde Lyranus super illa verba : *Cognoscunt me meæ*, dicit quia vere fideles cognoscunt beneficia Christi. Ideoque regius Propheta David totus anxius et sollicitus, *Psal.* cxv, 3, quærebat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?* Oves insuper inter se charitativæ existunt, pastoremque suum impense diligunt, id quod nobis amorem representat, quem habere debet anima erga Deum et proximum, hic enim certissimum et infallibile est character prædestinationis ; unde S. Augustinus ait : « Sola charitas discernit Filios Dei a filiis diaboli ; » et ideo Evangelicus Pastor nostro dilecto gregi suo dicit, *Joan.*, xii, 35 : *In hoc cognoscet omnes, qui discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Est quoque animal hoc adeo patiens, ut, dum ad macellum perducitur, nullam, sicut alia, faciat resistantiam. Unde Isaias Propheta, lxxv, 17, ut nobis incomparabilem Christi patientiam, quam, dum ad cruciandum educeretur, exhibuit, aliqua similitudine adumbraret, dixit : *Sicut ovis ad occisionem ducetur et non aperuit os suum ;* et Origenes, *tract. xiv in Matth.*, dicit quod justus ovis sint dicit, quia salvabuntur per mansuetudinem. Unde patientia, que in servis Dei conspiciunt, manifestum maxime perfectionis est indicium : *Patentia opus perfectum habet.* Et Apostolis, inque ipsorum persona, omnibus aliis electis dictum fuit, *Luc.*, xxi, 9 : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Ovis præterea ad unicam pastoris

sibulum, vel manus motum, vel ad unicam vocem obedit, ita ut ad quemvis minimum nutum gradatur et gressum sistat, *Psal.* cxix, 2 : *Qui deducis velut ovem Joseph ;* hæc cum divina voluntate conformitas, sive proprie voluntatis abrenuntiatio, hoc, quod est voci Dei, divinisque ejus inspirationibus obedientem esse, pignus pariter et signum est prognosticum, unde aliquem ad gloriam electum esse agnoscere possumus.

15. — S. Martinus, dum ovem aliquando tonderi vidisset, dixisse fertur, illam Evangelicum perfecte adimplexisse consilium, quo dicitur : *Qui habet duas tunicas, det non habenti ;* ita quoque elemosyna ad egros pauperes exhibita misericordia, nos de sortiendi in judicio finali felici dextera securus efficit : *Nudus eram, et cooperistis me.* Quodnam inter omnia animalia inveniri poterit, quod in ministrandis abundantius fructibus et emolumentis cum ore decertare possit ? Lac enim ovis, pastoris industria ad nostrum nutrimentum in reprobis evenire dividitur, agnos suos quoque nobis communicat, carnis etiam nutrimum, vestimur itidem lana ejus et pellibus, ecce tibi igitur mysterium, cur electi amici Dei per ovium gregem denotentur, nimirum ut per hoc nobis instruantur illos dignos esse, qui electorum numero aggregentur, qui honorum operum faciendi esse conspiciuntur, *Apo.*, xiv, 13 : *Opera enim illorum sequuntur illos.* Denique oves omnium se usibus ac necessitatibus adaptant ; siquidem pellibus suis vestiunt rusticos, lace lana eorum textitur pannus etiam talis, ut nobiles illo sine rubore vestire se possint ; ex intestinis earum fides præparatur musicis modulis edendis aptissime, que ipsarum ossibus, tibie aut fistule, aliæque instrumenta musica conficiuntur ; ex ipsarum quoque pellibus, charta pergamena præparatur, eam regia et pontificia inscribantur diplomata et privilegia. Quod idem quoque iustorum proprium esse noscitur, Apostolo de semetipso id attestante, dum ait, *I Cor.*, ix, 22 : *Omnibus omnia factus sum.* Imo de omnibus perfectis, Deoque charis animalibus idem Paulus scribit, *II Cor.*, iii, 2 : *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris ;* siquidem sanctæ, innocentes, Denique ardenter amantes, instar pellis quædam extenduntur : *Extendens celum sicut pellem ;* vel etiam instar chartæ complanantur, ut divina voluntatis, et gratiarum, donorum, celestiumque privilegiorum, quibus Deus illas locupletat, characteres congrue in illis exprimi et exarari possint.

Adnotationes.

a. — Ego sum Pastor bonus et cognosce oves meas, etc. Prius ait Dominus quod ipse cognoscat oves suas, quam quod illæ eum cognoscent. Causam assignat hujus Theophylactus hic, dicens : « Vide quod primus ille nos cognosceat ; deinde nos illum ; neque aliter potest cognosci Deus, nisi nos cogniti

« fuerimus ab illo. » Christus prius oves suas cognoscit quam eos illum cognoscant; Deum quippe cognoscere nullus potest, nisi prius ipse a Deo cognoscatur cognitione sua practica et benefica, qua nos gratis suis et auxiliis praevenit, nobisque assiluit.

D. — Non ait Christus: *Diligite, sed cognosco oves meas.* Dilectio actus voluntatis est; cognitio vero intellectus actus. Bonus autem et prudens Praesul oves respicit, ad easque fertur, non voluntatis affectu, sed intellectus dictamine; non enim suas oves diligit amoris propensione, sed rationis ac iudicii dispositione.

e. — Solent generosi belli duces, qui copiosum militem describunt, ut suos eo facilius cognoscant, eos tessera quadam vestiaria insignire, seu ut vocant, libraria. Hos in praesenti imitatus videtur sanctissimus generalis noster Christus, dum ait: *Cognosco oves meas;* quemadmodum in alio loco, II Tim., II, 19, dicitur: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Sed unde eos noscitis, mi bone Jesu? Ex signo quodam speciali, quo eos notavi. Et licet talia signa nulla sint, praecipuum tamen est inter ea, illud quod Apostolus designavit, cum ait, Rom., V, 3: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem.* Laborum ergo et variarum calamitatum humilis tolerantia, magnum christianae perfectionis argumentum et christianis hominis character est, efficitque ut hanc fidem nostrae veritatem a Deo esse cognoscamus. Legitur, *Philip., I, 29: Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Ex his verbis Apostoli evidenter colligitur professores legis Evangelicae non tantum vocatos esse ad credendum in Christum et ad proficiendam fidem christianam, sed simul ad patiendum. *Vobis donatum est, etc.* Quamvis tribulationes et adversitates sint omnibus communes, attamen characteres sunt Christianis proprii. Audite hac super re D. Augustinus, quid nobis dicat: « Si putas te non habere tribulationes, non dum copisti esse Christianus; et ubi est vox Apostoli: *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur?* Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum « coeperis in Christo pie vivere. » Ubi notandum est S. Apostolum nullum excipere a persecutionibus: *Omnes qui pie, etc.*, quasi hic character Christianorum inseparabilis sit ab adversitatibus et persecutionibus. S. Hieronymus alium ejusdem Apostoli exponit textum, I Thess., III, 3: *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc passus sumus.* Intendebat nimirum Apostolus, consolari fideles eo tempore quo cincti erant a persecutionibus, eisque ostendere volebat signum electi gregis esse tribulationem: « Ac si aperte dicat: *Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si « aeterna gaudia querimus, huc ad hoc venimus,*

« ut feriamur? » Pulchram S. Augustinus adducit similitudinem, dicens: « Cum autem coeperis in Christo pie vivere, ingressus es torcular. »

Sapienter illa et invicta vidua Judith, cui assistebat Spiritus Sanctus, inter alia, hoc quoque Ecclesiae reliquit documentum: *Tentati sunt patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum. Memores esse debetis quomodo pater noster Abraham tentatus est et per multas tribulationes probatus, Dei unicus effectus est. Sic Isaac, sic Moyses et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini et impatientiam suam et improperium murmurationis suae contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore et a serpentibus perierunt, Judith., VIII, 21.*

Volvite ac revolvite totam Scripturam, tam veteris quam novi Testamenti, percurrile insuper annales ab orbe condito et verum esse apprehendetis quod scribit magnus ille magister spiritus Sanctus de pusillanimum tractans consolatione: « Nullus « omnino sanctorum fuit, qui non aut externam, « aut internam aliquam crucem portare debuerit; « abjecta igitur omni pusillanimitate, quocumque « tibi accidit, de manu mea accipe et hoc tibi a me « pro immenso amore, pro tua salute transmissum « esse crede. »

d. — Aliud vero signum distinctivum ovium Christi est pax quae fidem confirmat. S. Apostolus de nostra ad fidem vocatione ad Ephesios, IV, 3, scribens, characterem fidelium in concordia, unione et pace mutua consistere manifeste ostendit, inquit: *Obsecro itaque vos, ego vincetus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et quidem ut hanc concordiam tanto vivacius exprimat, eandem per quamdam membrorum corporis humani similitudinem declarat, dum ait: *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis, in una spe vocationis vestrae.* Christus in ultima caena dixit: *In hoc cognoscent quia discipuli mei estis.* Joan., XII, 35. At vero quam ex re idipsum cognoscent? Num forte ex eo quia novam legem Evangelicam praedicabunt? Aut vero, ex patratione miraculorum? Vel ex variis linguis quibus varias alloquerentur nationes? Aut vero ex dono prophetiae, vel ex vita apostolica? Nihil horum Christus dixit, sed tantum: *In hoc cognoscent si dilectionem habueritis ad invicem.*

In vitis Patrum sequentia leguntur: « Duo senes « erant, in una cella pariter sedentes, et nunquam « inter se vel qualemcumque parvam contentionem « habuerant. Dixit ergo unus ad alterum: *Facia- « mus et nos unam litem, sicut et alii homines.* At ille alter dicit ei: *Nescio quemadmodum sit lis.* « Dixit ei ille: *Ecce ego pono laterem in medio, et*

« dico quia meus est; tu dicis quia non est tuus, « sed meus; et ex hoc fit contentio et rixa. Et cum « possidem laterem in medio, dicente uno quia « meus est, ille alter primo respondebat: *Ego « meum esse spero. Cum ille alter iterum diceret, « non est laus sed meus, tunc ille respondit: Et « si tuus est, tolle illum. Quo dicto non invenerunt « quemadmodum litigare. » Ecce tibi quinam « sinu veri spiritus salutare fructus, scilicet pax et « charitas. Observastisne aliquando quonam nomine olim primi Christiani fuerint appellati? Nimirum quo hodie appellantur religiosi; videlicet, fratres sese mutuo vocabant.*

VERSUS 15.

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.

1. — Venerabilis Beda verba illa hunc in modum explicat: « Ac si aperte dicat: In hoc constat, quia « agnosco Patrem, et cognoscor a Patre, quia *animam meam pono pro ovibus meis*, id est, ea charitate, qua pro ovibus morior, quantum Patrem « diligam, ostendo. »

2. — Cajetanum Christum hac similitudine usum fuisse notat, ad declarandum: « Quod non extrinseca, et infra terminos propriae villitatis notitia « est inter ipsum et oves ejus, quemadmodum est « inter pastores et pecudes eorum, sed est notitia « intellectualis, et vera amicitia, quemadmodum « est inter ipsum et Patrem. »

3. — Jansenius quoque Christum dicere voluisse observat, se non vulgarem habere electorum suorum notitiam: « Per hanc similitudinem significatur, non vulgarem esse cognitionem, qua ipse « Christus cognoscit oves suas, vicissim cognoscitur, « ab eis, nec talem esse, qualis est, quae omnia ut « Deus cognoscit, et quia etiam demones ipsum « cognoscunt; sed cognitionem affectivam, quae « amorem in se includit. »

4. — Lucas Brugensis vocem *sicut* considerans ait: « Adverbium, *sicut*, similitudinem notat, non « aequalitatem; quemadmodum, inquit, Deus Pater « novit me Filium suum, ita ut gratissimum habeat, diligit, caret, omnium generis donis ac perfectionibus ornatus ac cumulet, nec deserat unquam, sed perpetuo servet, sic ego Pastor novi « oves meas electas, ita ut diligam, liberem, defendam, custodiam, servem, et plurimis beneficiis, « tum spiritualibus, tum corporalibus afficiam. »

Et animam meam pono pro ovibus meis.

5. — Hugo Cardinalis ait: « Id est, vitam « expono. » Jansenius notat, solum Christum dicere potuisse: « *Animam meam pono*, solus Christus « potuit dicere, hoc est, deponere animam suam,

« quia sicut ille seipsum ultro tradidit manibus « persecutorum, a quibus jam captus, seipsum, si « voluisset, liberare potuisset, ita cum voluit, spiritum emisit, potestatem habens, illum vel emit- « tendi prius, vel retinendi diutius. *Joan., X, « vers. 18. »*

6. — Cajetanus notat Christum non dixisse: « *Pro ovibus meis, sed pro ovibus*, ad significandum, « tum quod non pro propria sua utilitate, sed pro « utilitate ovium ponit vitam; » nimirum se ab aliis pastoribus vult distingueri, qui tametsi nonnunquam se pro grege suo periculo exponunt, id tamen ex motivo proprii interesse, non aliquo, quo erga illas ferantur, amore faciunt; Jesus autem pro utilitate ovium, pro ipsarum salute.

7. — Albertus Magnus dicit: « Est subire periculum mortis, ut grex liberetur. *II Cor., XII, 14: « Ego autem libentissime impendam, et superimpendam pro animabus vestris. »* Emirvero quod si quis, quanti Deum animam aliquam faciat et quanto pretio illa in Dei statera sit aestimabilis, accuratius considerare velit, nullus utique homo erit, qui, quantumvis exiguus Dei amicus existat, non libenter sese pro illius salute comparanda omnibus sit passionibus et periculis expositorus. Idem quoque Albertus S. Ambrosium citat dicentem: « Nullus tantum impendit, quantum qui seipsum « impendit? ille enim Pastor dat corpus in pastum, « sanguinem in potum, animam autem dat in pretium, et deitatem dat in praemium. »

8. — Toletus emolumenta, quae in caelestis hujus Pastoris gregem ex ejus morte redundat, his verbis exponit: « Sola mors Christi peccatum delere « potuit, gratiam restituere, et caelum aperire, ipse « ergo est, qui maxime pro ovium utilitate animam « posuit, in maximo profuit. »

VERSUS 16.

Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili.

1. — Cajetanus ait: « Quae non sunt ex ritu « cultus Israelitici, quae non sunt ex stabulo legis « Mosaicae. » Lyraus tunc Pastorem hunc vitam et animam suam pro grege suo exposuisse dicit, quando in cruce suspensus, aeterno Patri suo dixit: « *In manus tuas commendo spiritum meum;* et ne « crederetur, quod solum pro Iudeis debet mori, « propter hoc quod dicitur, *Malth., XV, 24: Non « sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel,* ideo hoc removet, dicens: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili,* id est, de synagoga « Iudaeorum, sed de populo gentili, et illas oportet « me adducere, quod factum est per praedicationem

« Apostolorum, et vocem meam audient, quia Judæis repellentibus fidem Christi, gentiles eam devote receperunt ad prædicationem Apostolorum. »

2. — « *Alas oves,* » inquit Venerabilis Beda, « quia non solum Judæam, sed etiam gentilitatem redimere venerat. » S. Bonaventura ait : « Scilicet eligendas animas de populo gentili. »

3. — S. Thomas, in *Joan.*, ait : « Ponit fructum mortis Christi, qui est salus non solum Judæorum, sed Gentium; quia enim dixerat : *Animam meam pono pro ovibus meis,* Judæi reputantes se oves dici, juxta illud : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus,* possunt dicere quod pro eis tantum animam poneret; sed Dominus addit, dicens : quod non tantum pro eis, sed etiam pro aliis. »

Et illas oportet me adducere.

4. — « Id est, » inquit S. Bonaventura, « adducere per Apostolos, » quia Apostolorum opera idololatras ad ovile Ecclesiæ suæ reduxit, dum illos prædicatione Evangelica mediante Deo luertus fuit.

5. — « *Oportet, id est,* » ut S. Thomas exponit, « opportunum est, secundum ordinem divinæ prædestinationis ad gratiam vocari; » qui idem Angelicus Doctor, postquam sibi opposuisset locum illum Matthæi, xv, 24, insinuat : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel,* prolium ad illum respondet : « Quod ad oves domus Israel tantum missus est Jesus, ut eis corporaliter prædicaret; Gentes autem adduxit per Apostolos suos. »

Et vocem meam audient.

6. — Cajetanus dicit : « Vocem meam procul dubio internam; prædicantibus enim Apostolis nunquam adductæ fuissent oves, nisi in illorum prædicationibus et miraculis infernam Christi vocem audissent. »

7. — S. Thomas Christum hæc verbis tres condiciones indicare voluisse dicit, iis necessarias, qui ad fidem et religionem Christianam accedunt; quarum prima est : « Obedientiam mandalorum Dei; » ac proinde dicit : « *Vocem meam audient, id est,* servabunt mandata mea. *Psal. xvii, 45 : Populus, quem non cognovit, in auditu auris obedit mihi.* » Secunda conditio est : Unitas charitatis, ad quam indicandam dicit : « *Fiet unum ovile, id est, una Ecclesia fidelium. Ad Ephes., iv, 5 : Una fides, etc.* » *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* » Tertia conditio est : « Unitas fidei, et quantum ad hoc, dicit : *Et unus pastor.* »

Et fiet unum ovile, et unus pastor.

8. — Dionysius Carthusianus Ecclesiam unam vocari dicit, « propter fidei, spei, charitatisque unitatem; ipsa enim est unum mysticum corpus

« Christi, quo ab uno capite, scilicet Christo gubernatur; uno spiritu vivificatur, una lege regulatur, et uno fonte purificatur, uno pane reficitur, ab uno Patre regeneratur, ad unam patriam proficiscitur. »

9. — Lyranus ait : « Fiet una Ecclesia ex Judæis et Gentibus collecta, et unus pastor, scilicet Christus; alii enim non sunt, nisi vicarii bujus pastoris. »

Additiones.

a. — *Et alius oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, etc.* Hugo Victorinus, *lib. II Miscell., tit. 130,* ait : « Unus pastor, unus in se et unus cum grege. » Unus in se, ut quod docet verbis, impleat operibus. Unus ut non mutetur prosperis, vel adversis. Unus cum grege, ut a subtilis non dividatur per pretiosorem cibum, vel habitum. Si vero aliquis ex his pastoribus sit improbus? Quid inde? Christum tamen representat. Unde ait D. Augustinus, *tract. xvi in Joan.*, ait : Per eos vox Christi auditur; et sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Si ergo aliquis Prælati defectuosus fuerit, cum tamen ratione officii Christum representat, ei tanquam vicem Christi gerenti obtemperandum est. Unde Petrus Damianus, *Opusc. xii, xx,* ait : « Nolite de priorum vestrorum perperam forte vivendum meritis disputare; et non quia via gradiantur, sed cujus vice fungantur, attendentes, illis in Christo humiliter obedite. »

Quod Prælati, etiam malis, tanquam si Deo obtemperemus, obtemperandum sit, S. Apostolus non solum ad Colossenses, iii, 22, verum etiam ad Ephesios, vi, 5, his verbis scribit : *Obedite dominis carnalibus cum timore, cum simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Unde aperte deducitur voluntatem et præceptum Dei agnoscendum esse ex ore eorum, qui in superioritate sunt positi. Quorum proinde voluntati subjici debemus, tametsi cæterorum timorati et virtuosè nequaquam existant. S. Clemens Pontifex hujus nominis primus, in Epistola in ad Episcopos, aliosque Ecclesiasticos, ita scribit : « Verum, quia legatione Domini fungimini, est docere populos; eorum vero est vobis obedire ut Deo. » Et quidem, ut his, quibus subjicimur, libenter obediamus, S. Bonaventura sequenti nos efficaci motivo exstimulat dicens : « Ut autem melius valeas esse obediens, cogita semper, quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam non tanquam ab homine audias, sed tanquam ab ipso Deo. » Quod ipsum S. Basilium in constitutionibus Monasticis in hæc verba tradit : « Animadvertite quid in Evangelii dicat, cum de obedientia adversus servos suos adhibenda legem sanciret : *Qui vos recipit, inquit, me recipit. Et alio in loco : Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit.* »

Divinæ quotidie voluntatis adimpletionem sollici-

tamus dicentes : *Fiat voluntas tua.* Qualiter autem hæc ipsa nobis manifestabitur? Per superiores nostros. Unde S. Bonaventura ab Alvares citatus, nos ita monet : « Quia non confidis tibi ipsi, te scire, quid velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat et dedisti manus tuas in professione, ut ipse te in viam Dei inducat. » Quo documento præmisso, Alvares in hunc discurrit modum : Doctrinam et instructionem considera, quam S. Petrus ex jussu divino impertiit Cornelio centurioni, cui Angelus apparuit. Numquid enim ille Angelus eum per se erudire poterat? Iterum S. Paulum ad Ananiam ablegavit Dominus, annon potius infusa eum divina sapientia insignisset. Ut Regina Candæis Eunucho Christiane religionis imbueret mysteriis, S. Philippum diaconum ex eo transtulit loco, in quo convertendis animalibus intentus sudebat. « Ad hæc quid, » interrogat Auctor, « nisi ut testatam sit omnibus, Deum in hominibus loqui; in illis nimirum, quos ad docendum elegit et generaliter hominibus non per seipsum, sed per homines imperare? »

b. — Sicut et unum ovile, sic et unus Pastor et unus supremus gubernator Christus Jesus. Post cujus Ascensionem, unus est pastor Petrus, unus etiam pastor Petri successor Romanus Pontifex, sub quo militant inferiores multi pastores, non toli ovili uti ille, sed singuli singulis ovilibus partibus presidentes. Si autem aliquis ex his pastoribus sit improbus, Christum tamen representat. Si ergo aliquis Prælati aut ecclesiasticus defectuosus fuerit, non tamen lacerandus, nec quidquam illi reverentiæ adimendum est. Multis ante Salvatoris Nativitatem sæculis, Psalmista, per æternæ veritatis instinctum ait : *Nolite tangere Christos meos. Psal. civ, 15.* Si Pater æternus plures habuisset filios, facilius equidem hujus textus foret intelligentia, præsertim si plures etiam in mundum misisset; verum tamen : *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Qui igitur prophetici oraculi hujus sensus est? Hugo Cardinalis dubium solvit, dum Christum idem astruit esse quod unctum. « Præcipue uncti Domini » dicuntur Sacerdotes, et clerici, et religiosi, quos prohibet Dominus tangi. » Quos varie offendi

posse considerat : « Tanguntur illis detrahendo et maledicendo, et debitum honorem non exhibendo. » S. Bernardinus Senensis, de sæcularium ecclesiasticis detrahentium pruritu tractans, sequentem in hæc verba S. Gregorii citat canonem : « Multi sæcularium hominum, cum plus Sacerdotum vitam, quam suam discutunt, in magnum contemptum divinarum sacramentorum crimen incurrunt. Magna enim trabe vulneratos oculos habentes, eamque negligentes, festucam tenent in aliorum conspiciunt oculis quam dum incaute festinant evellere in foveam errorum dilabuntur. » Mirum certe non est, ecclesiasticos communi mortalium massa coagulatos quandoque defecere, sed circumspeditionem notemus oportet, qua Deus antiquitus, in illorum transgressionis expiationem, offerri voluit sacrificium, *Lev., iv, 3 : Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offerret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Multi equidem in hac victima offerenda, omnesque mysteriosi practicabantur ritus; sed nostro utilissima propositio favet simplicitudo, quam Sapientia increata adhibuit in hujusmodi ordinis ut viscera, intestina et excrementa illius victimæ in mundum et solitarium locum transportarentur. Interpres quidam sequens inde elicit mysterium, dum ait : « Non licere peccata sacerdotum in publicum jacere, neque in locum immundum, id est, in detractorum conventicula et in profanis et maledicis linguas; sed curandum esse, ut taceantur et omnes eorum reliquiæ charitalis igne consumantur, ac perpetuo silentio contegantur, quousque nihil remaneat, quod trahi possit in exemplum. »

Totum perecurrite Evangelium, neque tamen unquam Sacerdotes nominatim a Christo reprehensos fuisse in publico, invenietis; per ambages quidem et sub metaphora eos reprehendit, ast nusquam perdit respectum; ut scilicet cautelam nos edoceret, quo non hoc in puncto concedere oportet : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; quæcumque dixerint vobis servate et fite; secundum opera eorum non fite.* *Matth., xxiii, 2.*

DOMINICA TERTIA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 16

16. Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquatur.